

sentiant de omnibus patribus allegatis, & de alijs A quos ipsi referunt. Non est tamen verisimile tam apertum errorem & scripturis manifestè contrarium, communi consensu tantorum patrum receptum fuisse; fuisse enim intolerabilis lapsus; nec in eis inveniantur verba que piam expositionem non admittant. Ita Suarez.

Resp. pro
Chryst.

Verum ne videamur illos qui accusantur temerè absolvet; ipsi de se loquantur, nobisque verbo, non vivo quidem sed scripto, quid docuerint, significent. Atque ut à primo ordiamur; Chryostomum solum Dei visionem comprehensivam intellectui creato negare, quemadmodum S. noster Aquinas intellexit, non autem intuitivam; ex commentarijs ejus ad cap. 5. Matth. & ad 13. prioris ad Cor. probare non tam difficile foret quàm prolixum. Apertum est illud hom. 69. ad populum Antiochenum, *Justi sive hic, sive illic, cum Rege sunt, & illic amplius & propinquius, non per introitum, non per fidem, sed facie ad faciem.* Sed clariora sunt quæ alibi declamat. Hom. 14. in Joannem; *Nemo ita cognovit patrem nisi filius. Ut igitur multi, quisque pro capiti suo ipsum viderunt, substantiam autem nemo vidit: sic multi Deum cognovimus, non tamen ipsum substantiam qualis est, nisi solus ejus unigenitus, qui certam rationem, visumque & capere habens habet, qualem solum de patre habere par est. Sicut enim cognoscit me pater, inquit, & ego cognosco patrem. Hinc collige certam filij de patre comprehensionem parem patri cognitionem.* Ita Chryostomus.

Et quod in homilibus de incomprehensibili Dei natura, non aliud intendat, quam contra Anomæos, non solum hominibus sed etiam virtutibus superis Deum esse incomprehensibilem, tum ex earum titulo potest intelligi; tum ex hom. tertia manifestius autem ex quarta quam sic exorditur, *Satis jam esset, si fratres charissimi, si postea quam nuper ostendimus Deum incomprehensibilem esse hominibus atque etiam Cherubim ipsi & Seraphim &c. in fine, Sed jam Deum incomprehensibilem esse omnium creaturarum generi, latè ex his que proposuimus, patet. Restat ut a filio & a Spiritu Sancto dumtaxat exquisitè illum cognosci differamus, & iterum, Nullum vidisse Deum, Joannes inquit, ut exquisitam illam comprehensionem & expressam cognitionem in nullo contigisse intelligas. Quapropter quoties Deum nullum unquam vidisse audeas, illud intellige, nullum esse qui Deum moverit, qui Deum cognoverit, qui substantiam Dei exquisita ratione perceperit. Et quid mirum si virtutes illa exquisita careant comprehensione divina substantiæ? Id enim demonstrare nihil ardui est.* Ita Chryst.

Quod autem ait, Deum ex quo carnem assumpserit, visum esse ab Angelis, cum antea non sic videretur; exponit Suarez quod naturam assumptam comprehendere possunt, non divinam. Addi potest ex Hom. 4. quod post incarnationem, virtutes supernæ regis summi secreta cognoverunt: manifestata enim est principatibus atque potentatibus, multiformis sapientia Dei, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo. Ephes. 3.

Quod adjungitur, Chryostomum cogitationem atque imaginationem quam pro viribus nostris de Deo capimus, visionem appellare; nullam accuratè perpendenti parit difficultatem. Ut enim avertat eam insaniam, quæ quis (propter

illud Matth. 18. *Vident faciem patris mei qui in caelis est*) opinetur Deum aut faciem habere, aut cælo circumferri; docet eum tam ab hominibus, quam ab Angelis mentem videri; ad quam, secundum ea quæ ex Aug. tradit Angelicus doctor 2. 2. quæst. 2. art. 1. pertinet cogitatio.

Cum assumit Valquez, Anomæos contra quos disputat S. Joannes Chryostomus, non docuisse Deum à beatis ita perfecte videri ut ab eis comprehendatur comprehensione quam intelligunt Scholastici; neque tam amentes extitisse ut scientiam habet de Deo, æquarent scientiæ quam Deus de seipso habet; oblitus viderit verborum Chryostomi. Is enim de Anomæis ita loquitur Hom.

2. *Quod nemo unquam dicere ausus est, ipse ita Deum nosse quemadmodum Deus se ipse novit, asserunt & Hom. 3. Atque vos, postquam ostensum sit Deum incomprehensibilem esse virtutibus superis: contenditis præterea & affirmabitis vos scire illum nosse, & comprehendere? Quo terra hians, quo præcipitio, qua mala cruce non jure optimo puniamini, qui eò insolentis devenistis, ut que virtutes incorporea orones inspicere nequeunt, hæc vos explorata certaque habere putetis & prædicetis? & infra, isti (inquit) ipsam substantiam Dei sese diligentissime nosse præstiterunt. Et Hom. 4. Anus adverte hæreticorum amentiam quæ, serorum ipsorum (Angelos intelligit) nomina ignoramus: & tamen C substantiam Domini ipsius exquirant coneduntque comprehendere.*

Perspicitis credo, Beatum patrem Chryostomum solius comprehensivæ visionis possibilitatem ab intellectu creato excludere. Neque vero propterea dicere non debuit substantiam Dei à nullo Angelico intellectu videri: *visionem enim, noticiam vocat manifestissimam, absolutissimam, & exquisitissimam.* Et Cùm (ipsiusmet accusatoris testimonio) cæteri patres eodem quo Chryostomus modo loquantur; eodem quoque sunt explicandi, præsertim Primalius, Euthymius, Theophylactus.

Ad postremum ex eodem petitum, respondetur, ut Angeli possent nobis aliquid de Dei substantia quomodolibet enarrare, sufficere ipsius secundum essentiam visionem; sed ad enarrandum seu ad veritatem divinam sublimiter & aperte manifestandam, nullus præter Unigenitum Patris filium potuit sufficere.

De illo qui secundus objiciebatur, ita Aug. Epist. III. *Idem ipse Sanctus Hier. alibi sic dicit: Homo igitur Dei faciem videre non potest. Angeli autem etiam minorum in Ecclesia, semper vident faciem Dei: & nunc in speculo videmus & in enigmatate: tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus, & poterimus cum Apostolo dicere, Nos autem omnes revelata facie E gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritui; licet faciem Dei juxta naturam suam proprietatem nulla videat creatura, & tunc mente cernatur quando invisibilis creditur. In his verbis hominis Dei, ait Aug. multa consideranda sunt. 1. quia secundum aperitissimam Domini sententiam eisdem ipse sentit tunc nos visuros faciem Dei cum in Angelos profecerimus, id est æquales Angelis facti fuerimus; quod erit utique in resurrectione mortuorum. Deinde, Apostolo testimonio satis apparuit non exterioris, sed interioris hominis faciem intelligendam, cum videbimus facie ad faciem; de facie quippe cordis*

Tris
Hieron.
nymus.